



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Concilium Londoniense, Quo Ioannes Rex Angliae Ab Interdicto excommunicationis & depositione per Nicolaum Tusculanum episcopum & sedis apostolicae legatum absolutus est anno Domini MCCCXIV. tempore ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
 CHRISTI  
 1214.

**CONCILIVM LONDONIENSE,**  
 QVO IOANNES REX ANGLIÆ AB INTERDICTO  
 excommunicationis & depositione per Nicolaum Tu-  
 sculanum episcopum & sedis apostolicæ legatum ab-  
 solutus est anno Domini MCCXIV. tempore Innocen-  
 tii papæ III.

NOTA.

\* *Concilium.* ] Cum Ioannes rex Angliæ Stephanum de Langetu-  
 ne Cantuariensem archiepiscopum legitime electum nollet sulcipe-  
 re, pontifex Innocentius totam Angliam interdicto subiecit, & pau-  
 latim regem ipsum grauius saeuientem & bona ecclesiæ inuaden-  
 tem, episcopos & clericos relegantem, non tantum absoluit, sed et-  
 iam regno Angliæ deposuit, executione Philippo regi Francorum  
 demandata. Exercitu copiosissimo, quem rex Angliæ conscripserat,  
 territus, ad poenitentiam recipi petiuit, deque ablatis restituendis  
 sponsonem fecit. Quæ de re cum pontifex Nicolaum Tusculanum  
 sedis apostolicæ legatum certiore reddidisset, eique accipiendi &  
 absoluendi regis formam præscripsisset, *Legatus*, inquit Matthæus  
 Paris, *in vrbe Londinensi apud sanctum Paulum grande congregauit*  
*Concilium: ubi congregatis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, priori-*  
*bus, comitibus, baronibus, & aliis ad hoc negotium interdicti spectan-*  
*tibus, proposuit coram omnibus formam restitutionis, super ablatis &*  
*damnis a domino papa partibus consentientibus Roma prouisam, præ-*  
*ciens constanter vt certificaretur de quantitate soluta pecunie episco-*  
*pis & aliis quibuscumque a ministris regis causa interdicti, quatenus per*  
*solutam pecuniam sciret quantum unicuique ad soluendum restaret.*  
*Probatum est igitur ibidem certa computatione, archiepiscopum & mo-*  
*nachos Cantuarienses, simul cum Londinensi, Eliensi, Hereforden-*  
*si, Bathoniensi, Lincolnensi, antequam ab exilio in Angliam red-*  
*irent, per manum Pandulphi duodecim millia marcarum legalium E-*  
*sterlingorum accepisse. Post aduentum quoque eorum in Concilio se-*  
*ptimo Idus Decembris apud Radingum celebrato, quindecim millia*  
*marcarum iidem episcopi cum monachis supradictis inter se diuidenda*  
*perceperunt: ita quod tota summa simul coniuncta vigintiseptem mil-*  
*lium marcarum facit complementum: residua autem tredecim millium*  
*marcarum, quæ ad supplementum quadraginta millium marcarum*  
*predictarum soluenda restant, sub fideiussione Vintoniensis & Nor-*  
*wicensis episcoporum remanserunt, additis literis regis patentibus ad*  
*maiores securitatem; iuxta quod in literis domini papa continebatur*  
*expressum.*

Causa &  
 occasio ce-  
 lebrati Cō-  
 cili.

Acta Con-  
 cili.

His ita gestis, Nicolaus Tusculanensis episcopus & apostolica sedis  
 legatus in die apostolorum beati Petri & Pauli in ecclesia cathedrali,  
 Concil. Tom. 28.

P



Relaxatio  
interdicti.

relaxavit sententiam solenniter interdicti, postquam durauerat annis sex, mensibus tribus, & diebus quatuordecim, ad irrestaurabile damnum ecclesie, tam in temporalibus quam spiritualibus. Qua relaxatione facta, gaudium per totam terram pulsando, & hymno Te Deum laudamus cantando, exortum est. Hæc de rebus in ista Synodo gestis Matthæus Paris.

ANNO  
CHRISTI  
1214.

\* CONCILIVM MONSPELIENSE  
QVO SIMONI MONTFORTIANO COMITI  
Tolosanus comitatus, ex quo Albigenſes hæreticos  
eiecerat, datus fuit tempore Innocentii papæ III. anno  
Domini MCCXV.

ANNO  
CHRISTI  
1215.

NOTA.

\* Concilium. ] Acta Concilii Bzouius in annalibus his verbis describit: Hoc eodem anno, intra quindecim dies post natalem dominicum, Petrus Beneuentanus cardinalis legatus, postquam ex comitiis Ilerdensibus, ubi in verba Iacobi regis Aragonii proceres iurarunt, reuertisset, celeberrimum Concilium apud Montempeſſulanum congregauit. Intersuere quinque archiepiscopi, nempe Narbonensis, Aquensis, Ebredunensis, Arelatensis, Auxitanus: item viginti octo episcopi, ac multi abbates, religiosi, & nobiles. In eo ex communi consilio & consensu legati & totius Concilii decretum est, ut Simoni comiti Montfortio, propter præclaram in bello aduersus Albigenſes operam nauatam, & eximia in ecclesiam Romanam virtutum merita, tota ea regio, quam armis feliciter occupauerat, tribueretur, isque dominus & princeps totius ditionis constitueretur: nisi aliter Innocentio pontifici statuere visum esset. Ea de causa Romam missus est Bernardus archiepiscopus Ebredunensis Concilii legatus cum aliis clericis, qui patrum nomine ab Innocentio postularer, ut synodale decretum ratum firmumque haberet, Simonemque dominum terrarum omnium eo sacro bello acquisitarum esse iuberet. Interim Ludouicus regis Galliarum filius, Cruce ex voto contra Albigenſes suscepta, Lugdunum venit. Sed legatus, qui in potestate sua Tolosam Narbonamque & alia hostium valida opida retinebat, non nimis Ludouici gratum aduentum habuit, quod timeret ne ille tamquam Francia princeps, ad quem directum & supremum dominium earum urbium pertinebat, aliquid contra voluntatem ipsius, qui cuncta Montfortio tradere destinauerat, attentaret. Censebat enim iure legatus nihil iuris esse Francorum regi de his statuendi: quandoquidem, ipso cessante, sola Romani pontificis industria, cum exercitu Cruce signatorum, totam eam regionem ab hæretica impietate liberasset. Sed tamen omnem legati metum sustulit Ludouici principis bonitas, & ingenium equi bonique amans, qui apostolicis mandatis & legati consiliis se ubique promptum exhibuit,